



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 8. De communisensu ad tex. com. 37.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

vi ac spiritus, sine quibus sensus nulla perficitur, ad particularium sensuum singulorum ducuntur organa. Quare ut prima & princeps causa non agente agere non possunt inferiores cetera; ita ex libro de somno & vigilia cap. 2. nisi ab hoc principio ad sensus reliquos fundatur virtus, omnino non operantur. Et nisi communis quoque sensus cum illis simul operetur & attendat, illi aut profus non operantur, aut perinde est ac si non operentur. Qui cum operationem suam non aduertant, neque videre se, audire, aut omnino sentire animalia sentiunt, nisi communi sensu; hic verè principium est, quo animal sensitivum est. Itaque conclusio hæc non totam respicit antecedentem de sensibus tractationem nisi fortasse secundario, quatenus communi sensu non attendente ne ceteris quidem sensibus sensitivum est animal: sed proximam illam, qua de communi sensu dictum est. Hucque subiungitur ea; quæ est de phantasia. Quamquam dici etiam potest, tota antecedentem sensuum tractationem comprehendit quoniam sensum, appellare solet facultatem eam cognoscere, quæ præsentia solum obiecta cognoscit; phantasia verò circa absentia quoque versatur: nec eam veteres ab intellectu distinguebant.

Digestio viii. De communi sensu.

Car ite

Accuratus magis omnino fuisse videtur hoc loco philosophus in inuesti gâdo communi sensu, quàm in eius natura atque operationibus affectionibus que explicandis. Has quoque modo significe refacit illi fuit. Paulo pluribus euoluenda sunt.

A nominis igitur notione principium sit. Interior sensus nominatur, quod interior & reconditum habeat organum. Communis autem; non quod proprium illius obiectum sit commune sensibile, ut quibusdam placuit: quod & Auerois in com. 65. sentire vultus est, cum sensilia communia scripsit communia sensus propria esse. Sed quæ fuerit eo loco Auerois sententia; in superioribus dictum est. Nam & in tex. 134. communium dixit Philosophus communem nos habere sensum. Non enim eo vniu cuiuspiam sensus propria sunt, sed communia omnibus. Eadem Alexandro mens, cum in primo lib. de Anima cap. 18. aspectum scripsit, qui colorum arbiter est, communia sensilia non iudicare, sed ad communem sensum functionem hanc pertinere. Alioqui in com. 36. in lib. de sensu & sensilibus omnino ostendit à particularibus sensibus ea sentiri & iudicari. Neque etiã quod sit superior quispiam & vniuersalis sensus, qui de ceteris ut inferioribus enuntietur, quemadmodum animal de homine & equo. Aut enim alij omnes sensus communes essent, aut falsæ enuntiationes fierent. Neque demum quod exteriorum sensuum congeries sit. Quoniam eum esse facultatem ab alijs omnibus distinctam; ex operatione iam demonstrat Philosophus, sed communis sensus nominatur; tum quod tanquam communis iudex superiorque facultas omnia sensuum exteriorum obiecta cognoscit, iudicat, distinguit, & inter ea discrimen ponit. Tum quod est quasi commune centrum, ad quod exteriores omnes conflunt sensus, obiecta que sua & cognitiones referunt. Cum illo enim consentiunt om-

Anes, & communicant. Immo nullus eorum operari potest, quin hic quoque cum illo simul operetur. Atque ab anterioribus cerebri sinibus, ubi huius sensus operatio viget, nervi & spiritus ad exteriorum omnium ducuntur organa. Denique operationes quoque omnes illorum sensuum ab hoc vno communiter percipiuntur; ut antea proditum est.

Hæc igitur sunt huius sensus operationes. Prima, cognoscere omnia exteriorum sensuum obiecta propria. Altera; diiudicare illa & distinguere, singulorum que discrimen agnoscere. Quod non diuisione aut compositione constat (hæc enim non nisi ratiocinando fieret) sed apprehensione simplici atque intuitu plurium obiectorum plurium sensuum: sicut visione vnica aut auditione colores plures sonos percipimus ac iudicamus. Tertia; sensationes quoque eorumdem exteriorum sensuum cognoscere: quod inquam aspectus cernat & auditus audiat. Operationis quoque cessationem eum cognoscere dixit Priscianus in Theophrastum de anima c. 47. Vniuersusque inquit negotium, otiumque perferit. Quod minime probandum est: quippe priuationum cognitio ad intellectum pertinet. Neque sensus sentit, nisi à præsentibus obiecto per motus: neque otium illud motum vllum habet.

Ciam illius subiectum esse animal ut animal est; tum ex Philosophi verbis, quorum postremo interpretationem fecimus, licet cognoscere. Dicit enim huius sensus considerationem concludit, dixisse se ait de principio, quo animal sensitivum dicimus. Tunc ex cap. 1. & 2. lib. de somno & vigilia, ubi somnum & vigiliam ostendit communis sensus affectiones esse: nullamque existere animal, quod semper vigilet aut semper dormiat: sed animalia cuncta vigilare nonnunquam & interdum dormire; quod interdum operari debeant, & ab operatione cessare nonnunquam & quiescere. Quam ob causam ab Aristotele somnus exactori vechigalis comparabatur; quod temporis ad vitam dari dimidia terè auferat partem. Testis est Plutarchus in opusculo, cui titulus est, Aquanè an ignis vtilior. Inde verò necessario consequens est, animalibus cunctis communem sensum, saltem imperfectum aliquem inesse, ut dormire aut vigilare possint. Video etiam ab omnibus concedi, animalia cuncta inchoatam saltem aliquam phantasia habere: at hæc communem sensum supponit. Quod si quædam solo tactu aut etiam gustatu constare dicuntur; sermo est de exterioribus sensibus: neque illi ipsi communi aliquo inchoato sensu carent.

EPlantæ non dormiunt; quia sensum non habent. Nutritio autem quiete ac cessatione non eget; quod simul consumat & noui alimenti commutatione vim operandi restituit. Quia tamen non æquè perfecte restaurat, vltima tandem quædam quies est, quæ mors seu ariditas appellatur.

Sensationes verò absumunt spiritum nihilque restaurant. Quare præter vltimam illam mortis quietem, quæ vegetantis operationis est propria, indigent alia, quæ subinde spiritus renouetur. Hæc est somnus. At si communis sensus affectiones sunt vigilia & somnus, de his quoque

ZZZ iij

*Com-
munis
sensus
opera-
tiones.*

*Com-
munis
sensus
in ani-
malibus
cunctis.*

*Som-
nus ve-
chigalis
exactor.*

*Planta
cur non
dormiat*

*Com-
munis
sensus
affectio-
nes, vi-
gilia &
somnia.*

dicendum, dum illius considerationem faci-

Vigilia Ergo vigilia & somnus vt habitus & priuatio
causa opponuntur. Vigilia enim sensuum functio est; eorundem ligamen & cessatio somnus. Vigilare namque existimatur animal, dum solutus habet sensus, isque liberè & expedite vtitur: dormire, si illi sopiti sint & nihil sentiant. Quare immobilitas quaedam & ligamen sensuum est formaliter somnus. Sensuum inquam exteriorum; Alioqui dormientes somniant.

Somni Dum verò somni causam in Timeo Plato voluit explicare, nec verà nec generalem indicauit. Nam & de vniço sensu, deque nocturno solum somno loquutus est; & visionem accipiens fieri ex emissione lucis internæ, atque illius in externam incurfu; Post quàm inquit in noctem discesserit cognatus ignis, visionis radius euanescit. Nam in aërem sibi dissimilem crumpens permittatur atque extinguitur, cum nullam habeat cum proximo aëre, vt pote ignis splendore carente, naturæ communionem. Idcirco videre desinit, somnumque inducit. Etenim salubre palpebrarum tegmen Diu oculis machinati sunt; quibus obductis vis illa ignis intimi conuenientia tegminis coëretur, compressaque interiores motus perfundit & mulcet; quibus relaxatis atque mollitis quies obrepit. Hæc Plato. At nec visio emissionis, sed susceptione potius constat: Nec nocte solum, sed & die & clara quoque luce dormimus. Neque dormientibus oculi modò clauduntur, verum sensuum omnium concidunt organa operarique desinunt. Quàmnam quæso ob causam? sanè cæcum animal non minus dormit, quàm cætera: nec desunt, quæ apertis oculis ordormiscant. Verùm in tenebris & nocte tota non semper dormimus; vigilamus per sæpè. Euigilandi verò quæ fuerit causa, si Platonica dormiendi causa probeatur: si diurnæ lucis abscessus adduxit somnum, eiusdem reditus reducet vigiliam. At quàm sæpè euigilamus nocte & in tenebris; quàm sæpè reduce luce profundè ad huc dormimus? omnino ab interna & in ipsis animalibus insita, non ab externa causa, tum somnus, tum vigilia, pendunt.

Sic igitur res habet. Nulla sensus operatio absque illius membri ope perficitur, quod animalis & sentientis virtutis principium & sedes est. Hoc primò quidè est cor, prima sedes animæ virtutumque omnium fons. Deinde verò cerebrum, in sentiendi atque mouendi virtute quasi cordis minister & famulus. Ad sensum omnem & motum exequendum ab hoc duplici membro submittitur spiritus; sit immediatè & proximè à cerebro, vnde magis temperatus atque ad sentiendum & mouendum accommodatus profluit. Dum igitur spiritus hæc distributio prohibetur, quominus ad organa sensuum deriuetur, concidit illa & omnis operatio cessat, dormireque animal existimatur. Propterea communis sensus affectio dicitur esse somnus. Quod ego duobus modis interpretor: tum communitatis omnium exteriorum sensuum: tum communis illius, qui & exteriores omnes sopiri oportet omnèsque ab operando cessare: quoniam si vel vniço perfectè

vt communis sensus affectio somnus.

sentiat, & quiescant ceteri, non dormit, sed vigilat animal. Et cum primùm frigidus humor afficit organum communis sensus, afficit quoque neruos, qui ad exteriora organa ducuntur, virtutisque sentientis communicationem ac spiritus diffusionem prohibet. Primùm, quòd exiguus sit & imbecillus natiuus calor. Facile enim refrigeratur locus, inersque redditur atque immobilis spiritus. Deinde quòd paucus existat spiritus: idèoque ad cor potius, vt ad natum locum, vbi renouetur, recipiat sese; quàm exteriores percurrat partes. Hæc verò spiritus destituta concidunt, nec operari valent. Tertio ob laborem nimium corporisque fatigationem. Consumitur quippe labore spiritus, atque in exterioribus deficit partibus ad operandum. Quapropter fatigati obdormiscunt illico. Quarto attentiam rei cuiuspiam cogitatio tum spiritum multum absorbit, tum ab exterioribus ad interiora reuocat. Quamquàm si fuerit vehementior, auerter potius somnum; quòd in cerebro spiritum retineat. Quinto nimia etiam exterioris cuiuslibet sensus attentio, circa obiectum præsertim proportionatum, quòdque harmoniam habeat, detrahit, atque ab aliorum sensuum organis auocat spiritum; hæcque spiritu destituta concidunt. Propterea audientibus musicam facile conciliatur somnus. Sexto corporis morbi adducunt somnum: & quidem plurimis modis, de quibus dicent medici. Septimò naturalissimus & maximè proprius somnus ex meatuum obstructione nascitur, quibus ad sensuum organa diffundi spiritus debuisset. Obstruuntur autem illi crassioribus vaporibus ascendentibus ad caput, ibique frigore cerebri densatis magis & crassescuntibus. Tractat luculenter hunc locum Philosophus in cap. 4. libelli cit. Cum enim vapores meatus spiritus occupauerint, ad interiores sese spiritus contrahit partes; tum vt obfesse subueniat parti; tum ne ab alijs, si uoque fonte separetur. Tunc incipimus dormire, sensibus omnibus actione obfusis sua fungentibus. Tandem autem obstructis meatibus, cum non effundatur spiritus, concidunt organa omnia, perfectèque consequitur somnus. Ita fit, vt initio somni frigidiores sint superiores partes, inferiores calidiores: spiritu scilicet à superioribus ad inferiores recedente. Procedente vero verò coctione multoque spiritu genito superioribus quoque calefcunt, spiritu iam dominante vaporibus. Gignuntur vapores hi aut ex cibo natiui caloris actione cocto: quare à cibo factis somnus: quique multo cibo & crapula dediti sunt, non solum ad contemplandum, sed mentis quoque actionibus imperfectè vtuntur; quòd eorum organa crasso subinde ascendente occupentur vapore. Aut ex humoribus corporis actione caloris resolutis; idque maxime in infirmitatibus. Aut demum ex partium colliquatione; quemadmodum in labore. Labor enim colliquat & resoluit partes. Quare non solum ea, quam paulò ante significauimus, sed hæc quoque fuerit causa, cur labor & fatigatio corporis adferat somnum. Agitataz namque partes commotique humores euaporant ad caput.

put. Immoderatus tamen labor nimiaque fatigatio adimunt sæpè somnum, aut quod absumat etiam vapores, aut propter doloris sensum partiu labore nimio contularum.

Papauer, mandagora, vinum, lolium, soporifera sunt, quia vaporosa, & vero etiam frigida; multumque vaporem ad caput mittunt, & qui faciliè refrigeretur ac dentetur. Vinum rubrum soporiferum magis, quam album, quia plures & crassiores vapores mittit. Plurimum dormiunt pueri, naturiformes, & magna capita habentes, quòd plurima sit sursum euaporatio. Quibus item tenues & angustavenæ: quòd tenues angustique meatus claudantur faciliè. Qui cubant incarnati, ægrè & parum dormiunt: quòd deficiente cibo non multa sit euaporatio. Si tamen frigidus sit & imbecillus venter, meliùs & quietius dormient: quia cum non grauentur cibo, nec exilis opprimatur calor, exiguum alimentum meliùs coquitur. Corporis temperatio regioque humida & calida præ cæteris sunt soporifera. Quoniam humor vaporem suppeditat & calor excitat.

De anni temporibus difficultas nonnulla. Extat Hippocratis Aphorismus 15. libri primi Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt & somni longissimi. Quapropter his temporibus alimenta plura exhibenda sunt. Nam innatum calorem amplio rem tunc habent. Alexander verò in 1. lib. naturalium quæstionum cap. 20. ætate nos esse somnolentiores contendit. Tum quòd vehementior hyeme calor vapores illos citius dissolvit, qui conciliabant somnum. Tum quòd ætate ob æris calorem sensoria flaccescunt omnia; & cum sint ad agendum imbecilliora, faciliùs in somnum concidunt. At si vehementer hyeme calor ad dissolvendum; vehementior item ad excitandos copiosiores vapores: copiosiusque humidum, ut plus ingeritur cibi, minores & angustiores meatus corporis, maiusque externum frigus, ac longiores noctes ad dentandos & coegedos excitatos vapores. Si flaccescunt & imbecilliora ætate sensoria sunt: minor etiam & parcius euaporatio: tum ob alimenti paucitatem: tum ob caloris imbecillitatem, apertioresque ac patentiores corporis meatus: atque externus æris calor maior ad dissolvendum. Sanè quilibet potest de hac disputatione iudicare. Nervio enim est, qui longiorem, profundiorum, ac quietum magis hyeme somnum; contra ætate brevem, inquietum, sæpiùsque interruptum non experiat.

Iam si meatum obstructio spiritusque interclusio somni existit causa, eorundem refectio atque apertio, redituque spiritus ad sensum organa excitationis & vigilia fuerit causa. Sed duobus modis potest animal excitati à somno atque euigilare. Aut à seipso, aut ab alio. A seipso tunc naturaliter euigilat, quando nativi caloris virtute absumptis vaporibus illis, qui occupant meatus, nouoque spiritu ex cibi coctione renouato, effunditur istum ad organa sensuum. Interdem etiam ex accidenti euenit, ut ob dolorem quempiam in aliqua corporis parte exortum, aut vehementem timoris alteriùs rei imaginationem, (quem

A admodum cum interfici nos aut submergi somniamus) fiat in vniuerso corpore commotio tanta, ut spiritus ad cor contractus dilatetur & ad organa sensuum effundatur atque euigilemus.

Cum verò excitamur ab alio, ita res habet. Remanent semper in sensoris exigua aliqua spiritus reliquia, quæ pulsato sensorio accurrunt illico, quali necessitati partis subuentura; eodemque anima quasi pulsù vocata naturaliter alium submitit spiritum, cuius præsentia soluitur somnus, qui eius absentia fuerat conciliatus. Præcipuè verò si auris pulsetur, aut organum tactus: quoniam hi duo sensus apertiores habent ac vehementiores ab obiectis motus. Dum sensorium pulsetur, vel nulla, vel perquam imperfecta fit in eo sensio: quòd animal aut omnino dormiat, aut perfecte nondum euigilauerit, sensus autem vigilia est. At quoniam ad eam sensationem perfecte efficiendam accurrat spiritus, euigilat animal & tunc perfecte sentit.

Vigilia quidem certè ad sensuum functionem atque operationem refertur tota: immo nil aliud, quam functionem & usum sensuum eam esse dixeris. Somnus autem causaliter contractio spiritus est ad cor, propter crassiores vapores interpositos, qui meatus occludunt. Formaliter verò imbecillitas vinculum, & immobilitas sensuum ex vaporum ascensu profecta. Quod propterea addo, ut somnum distinguam ab insensibilitate, quæ ex animæ defectu oritur, ex timore, ex arteriis circa colulum ligatis, ex alimenti defectu, ex morbo & similibus causis. Cæterum somni est duplex finis. Propinquus cessatio & quies ab opere. Remotus sed præcipuus, animalis restauratio. Non enim dormimus ut dormiamus; sed ut restaurentur vires, perfecta fiat nutritio, nouusque gignatur spiritus, quòd aciores post ad operandum reuertamur.

Plurimum tamen obest nimius somnus. Nimij Tum quia propter nimium vaporem crassum diutius contentum plus æquo laxat vias spiritus. Tum quia exterioribus sensoris non parum obest; & propter nimis diuturnam sentiendi atque operandi cessationem ac desuetudinem; & propter longam spiritus, quo fouebantur, absentiam. Eo namque absente siccantur, rigent, contrahuntur, corrugantur; ægriusque post ad operandum redeunt. Itaque si nimium dormieris, lucem intueri non vales: quemadmodum nec illi, qui ex longo tenebrioso carcere educuntur. Accedit, quod colorem minuit naturalem. Dormientibus enim ad interiora contrahitur & optimè in ventre coquit; quia contractus & vnitus fortior. Quare si desit cibus, seipsum ex accidenti deuorat. Maxime etiam eneruat vires deficiente calore, corpusque tardum ac torpens efficit. Denique prauos augeat humores: quippe ut vehemens & concitata est somni coctio, sic multas gignit superfluitates: & mane, dum à somno surgunt, alii excrementa purgant animalia omnia: nosque expuimus plurimum & excreamus; præsertim qui pituitosa & humoribus plena habent corpora.

sopori
feraqueQui
multum
dormi-
unt.Qui
aut
tempore
melior
suntVigilia
et som-

nus

quid.

Somni
finis.

finis.

Nimij

somnia

damna.

Vt euigi-

let ani-

mal.

Somni breuis damnus

Sed nec nimis breuis debet esse somnus. Quoniam natiuo calore spiritūque distractis & ad alias atque alias operationes vocatis, impeditur cōtio, prauūque humores & cruditates existūt; siccat corpus, quod non tām copiosē ac largē reficitur dormiendo, quā exhauritur vigilando. Debiliior demum redditur motus, omnisque sensio deterior; propter defectum spiritus, qui non satis copiosus restauratur.

Somni moderati comoda.

Moderatus igitur esto somnus: qui & cōtionem iuuabit ac perficiet; & impinguabit corpus, tum abundē alimentum membrīs suppeditando, tum probatos gignendo humores & succos. Soluet quoque fatigationem, vires optimē restaurabit, atque ad motum & sensum conferet, dum plurimum gignet & optimum spiritum.

An somnū prior an vigilā.

Curiosus quærit Philosophus in 5. de animalium ortu lib: cap. 1. num dormiat prius animal an vigilet. Sed respondendum est, omnino vigiliam somno priorem esse. Tum quia est velut habitus, cuius primatio somnus. Tum quia per sensum primō animal est; sensus autem vigilia & operatio. Somnus etiam non nisi post operationem & fatigationem necessarius iudicatur; vt id restauretur, quod vigilando & operando consumptum fuit. Et vnaqueque res naturalem prius & perfectam conditionem habet, quā eam, quæ præter naturam & velut mutilata est. In vtero quidem fetus tempus penē totum dormiendo confumit. Sed & id euenit cū primū, inquit Philosophus, sentire cepit: Antecedit igitur sensus & vigilia. Neque dispositionem illam somnum, sed somno similem, qualis plantarum est, esse putat.

Vt dormientes faciunt opera vigilantiū.

Maiore dignum cōsideratione videtur, id quod tum eo loco, tum in cap: 3. lib: de som: & vig: adnotatur, dormientes interdum surgere, ambulare atque alia vigilantium opera exercere; vt de amico suo, qui ad galinarum locum profectus est, scribit in eum de animalium ortu locum Philoponus. Etenim somnus affectio quidem cerebri est, sed anterioris præsertim partis, in qua communis sensus viget, & officina est spiritus sentiētiūque neruorum principium. Ibiq; maximē fit illud vinculum, quo exteriores sensus omnes velut in suo principio & centro ligari creduntur, & ideō operatione cessare. Posteriorem cerebri partem non est necesse ligari. Quare mouendi virtus, quæ ibi residet indeque spiritum ac neruos accipit, soluta erit & libera: & cū per se imaginatione regatur, quæ inter dormiendum libera persæpē relinquitur, operari potest. Ligatur tamen ex accidenti ea quoque plerumque, nec operatur; siue deficiente spiritu in anteriore cerebri parte, quæ illum ad posteriorem transmittit: siue quod imaginatio quoque ligetur; vt in profundo somno, in quo ne in lecto quidem minimū mouemur. At non omnes ea vigilantium opera faciunt: sed per pauci quidem, quibus aut spiritus, aut imaginatio vehementior, aut natura apta & melancholica, aut maior aliqua imperessio diurna; quemadmodum ijs, qui in inimicitijs versantur; aut morbus, aut habitus, aut alia causa.

Cū verò hi euigilauerint, somnij, quo ad surgendum & agendam permoti fuerent, recordantur; surrexerunt se verò, ambulasse, aut egisse quāpiam, non item. Somnium quippe in imaginatione versatur, illique impressum memoriā licet. Exterior autem corporis motus nisi exterioribus sensibus cognoscatur, memoriā sui non potest facere: at exteriores sensus ligati sunt. Quod si interdum fiat, vt surgentes apertis oculis & per loca periculosa incendant, & in columnam incidentes tanquam inimicum verberent: exterior sensus quoque modo, at non penitus, solutus est. Non enim videre se vident; quia communis sensus principium exterioris ligatus est. Ideo non recordantur. Et si nihil somniantes operentur, perinde plantam utuntur, ac si somniantes.

INTELLECTUM A SENSU diuersum esse.

CAPVT III.

TEXTVS.

Επειδὴ δὲ τὸ διαφορετικὸν τῶν ἰσχυρῶν καὶ τῶν ἀσθενῶν οὐκ ἐστὶν ἡ αἰσθητικὴ δύναμις, ἀλλὰ τὸ νοητικόν, ὅθεν καὶ τὸ νοητικὸν ἐστὶν ἡ ἀσθενὴς καὶ τὸ ἰσχυρὸν τὸ αἰσθητικόν.

Quoniam autem duabus maximè differentijs animus de sumunt; tum motu, qui est per locum; tum intellectu, & iudicio; & sensu.

COMMENTARIVS XXXVIII.

QVI ab hoc loco; lib: principum fecerunt, eo nimirum argumento permoti fuisse videntur; quòd in superioribus verbis quasi sententis animæ tractationem aboluens, de sensu dictum esse conclusit: nuncque velut de intellectu dicere aggrediens cum statim à sensu separat. At nec ea fuit superioris orationis clausula: quā potius communis sensus cōsiderationi finem posuit. Consequenti autem hoc sermone non ad intellectum, sed ad phantasiā progrediens quæ communi sensui proxima est atque inter sensum & intellectum media; ad quam operatur quoque intellectus sese conuertit. Neque enim inchoata sensuum interiorum tractatio abijcenda erat, & imperfecta ac mutila relinquenda: prætermittenda videlicet phantasia, aut obiter solum & quasi ex accidenti commemorata, vt intellectus ab ea distingueretur. Præsertim cū plurimam habeat ac summopere necessariam operationem: eamque meliorem ac præstantiorem, quā communis sensus. Verè etiam dixit Philoponus, repentinam omnem & subitam mutationem, tum in oratione, tum in quavis re agenda, malam esse, ac reprehendendam. Propterea ab irrationali sensu ad rationalem intellectum repente Philosophus non processit. Sed antea de phantasia, quæ inter vtrumque media est, egit. Ad alteram, vt Simplicius loquitur, quæ post sensum est, indicatricem actionem se transferens ordineque